



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

Sanderus, Antoine

Antverpiae, 1625

Agricolavs Episcopus Leodiensis, Flander.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10172

A G R I C O L A V S

Episcopus Leodiensis, Flander.

DE AGRICOLAO narrat Gazæus in Historia Ecclesiastica Belgij eum fuisse vndecimum Leodicensis Ecclesiæ Episcopum, post D. Seruatium, qui decimus eandem Cathedram tenuit; primus eodem auctore Trajecti ad Mosam resedit circa annum 512. vbi & eum Ecclesiam S. Seruatij edificasse, & post Hunnicam cladem reparasse, & in eadem sepultum asserit. Fuit autem Agricolaus, ab eodem aliisque scriptoribus sancti titulo honoratus, cuiusdã Flandriæ Saltuarij filius. Quem Tungrensibus à S. Remigio Episcopum datum circa annum 498 etiam Miræus narrat in fastis 1. Octobris, vbi de eodem Renensi Archiepiscopo Francorum Apostolo agit.

A N T O N I N V S T I M M E R M A N N V S

Dunkerckanus.

Dominicanus Dunkerckæ maritimo Flandriæ opido natus anno 1547. parentes fortunæ mediocri probos tamen & longè honestos habuit, quibus magna fuit proles rectè educandi sollicitudo. Adolescens humanioribus litteris excultus melioris vitæ desiderio ardens Antwerpia in B. Dominici Sodalitatem nomen dedit annos natus 21. in qua eos fecit progressus vt prædicandi munere cum laude perfunctus sit, vtpote vir plane pius, eruditus, & Flandrici, Gallici atque Hispanici idiomatis æque peritus. Hereses quæ id temporis feruebant acriter, & magno atque assiduo concionandi studio est infectatus cumque Bellorum errorumque incendio arderet Antwerpia, Deo vt & Principi

miseria